



PENITENZIERIA APOSTOLICA

PHILADELPHIEN. LATINORUM

D E C R E T U M

quo conceditur donum Indulgentiarum christifidelibus occasione VIII Mundialis Familiarum Congressus, a die XXII usque ad diem XXVII vertentis mensis Septembris Philadelphiae celebrandi.

“AMOR NOSTRA MISSIO, FAMILIA TOTA VIVA” proponitur VIII Mundialis Familiarum Congressus qui Philadelphiae celebrabitur, eo intento fine ut Ecclesia atque civilis societas curam in familiare consortium intendant et amor Dei, nuptialis virtute sacramenti, in toto mundo annuntietur.

Quo autem christifideles animo ad illum eventum melius disponantur, Sanctissimus in Christo Pater, Franciscus Divina Providentia Papa libenter concedit Indulgentiarum donum, iuxta sequentem indicem, si, vere paenitentes et caritate compulsi, in familiam sanctificandam incumbunt, ad exemplum Sanctae Familiae Iesu, Mariae, Ioseph.

Plenaria conceditur christifidelibus *Indulgencia*, lucranda sub suetis condicionibus (sacramentali confessione, eucharistica communione et oratione ad mentem Summi Pontificis), animo quidem elongato a quocumque peccato, si, unito corde cum spiritualibus finibus proximi Misericordiae Anni, cui ex sacris functionibus decursu dicti VIII Mundialis Familiarum Congressus, necnon sollemni eiusdem conclusioni, devote interfuerint.

Christifideles vere paenitentes, qui huic eventui interesse nequeunt, *plenariam* consequi valebunt *Indulgenciam*, eisdem sub condicionibus, si, spiritu et mente coniuncti cum fidelibus Philadelphiae praesentibus, Orationem Dominicam, Symbolum Fidei et alias preces ad fines supra indicatos, a Divina Misericordia implorandos, in familia pie recitaverint, praesertim dum Sanctissimi Verba vel Nuntia instrumentis televisificis et radiophonicis propagabuntur.

Partialis denique conceditur *Indulgencia* christifidelibus, corde saltem contrito assequenda, quoties tempore supra indicato pro familiarum bono preces fuderint.

Praesenti pro hac vice valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XIV mensis Septembris, anno Dominicae Incarnationis MMXV, in Exaltatione Sanctae Crucis.



Maurus Card. Piacenza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

Christophorus Nyciel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens

L. + S.
In PA tab. n. 802/15/I